



17.  
1. O.  
2. M.  
3. W.  
174  
1. O.  
2. O.  
3. M.  
4. .  
17  
1.



1728.

1. Becker, Johannes Merianus: De hostilitate naturali  
bonitati divinae non contraria.
2. Mantzel, Sam. Johann. Frid.: De coartis artificum.
3. Westphal, Ernestus Tractin: De iudate practica  
juris Lubecensis in civitatibus Mecklenburgicis.

1729.

1. Casman, Tacitus: De orthotria iurisdictionum.
2. Casman, Tacitus: De intimatore per tabellio-  
nem privata.
3. Mantzel, Sam. Joh. Frid.: De crescente pecunia.
4. Trichelinger, Joh. Alm.: De philosophia vera  
in ~~philosophia~~ philosopho utroso.

1730

1. Becker, Johannes Hermannus: De experientia matre  
scientiarum

1730

2. Mantzel, Em. Joh. Frid: De usu s. scripturarum  
in iuriprudencia
3. Liners, Hui Jacobus: De amicitia hominis miseræ  
conditionis cum viro magno.
4. Trichmeyer, Johann Nicola: Cur errores et falsi-  
tates faciles, quam veritas propagentur

1731

1. Becker, Johann Hermann: De adulterio tratorum  
sive de confusione specierum, tritis ab hordei  
instinctu prob. impedita
2. Casum, Jacobus: De pactis inter creditorem et  
debitorem invalidis
3. Casum, Jacobus: De regula in frustra leges  
invocat, qui contra leges committit
4. Mantzel, Em. Joh. Frid: De honorifica diminutione  
innocentiam.

1731

5. Mantzel, Em. Th. Frid: Juris Mecklenburgici  
privati historia et fontes.

6. Mantzel, Em. Th. Frid: De consecratione loci officina  
juris in actionibus legibus obscuris

7. Mantzel, Em. Th. Frid: Juris Mecklenburgici  
privati specialia

1732.

1. Mantzel, Em. Th. Frid: De oblivione juris

2. Mantzel, Em. Th. Frid: De mandato procuratoris


3. Mantzel, Em. Th. Frid: De rationibus reddendis  
a benedictine sacerdotati petitis

1731  
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

1731  
Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.









TRATTATO DI FILOSOFIA

# HOSTILITATE MATERIA BONI

CONTRARIA  
EVENIE ALTISSIMO

CONSENTIENDO AMPLIUS IN PROPOSITO  
FILOSOFICA

M. IOHANNES ... ANNO

CAROLO HENRICO MOLLER



10

H  
N

CO

T. 2.

M.

C

TYP



DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
SISTENS

PHILOSOPHIAM  
VERAM,  
IN  
PHILOSOPHO VITIOSO.

Vol. 30. 4

7

1729, 4.

QVAM

IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIA,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ,

PLACIDÆ PHILOSOPHANTIVM ΣΥΖΗΤΗΣΕΩ

IN AUDITORIO MAJORI,  
SUBMITTUNT,

PRÆSES

M. JOH. HINR. TWIETMEYER,  
ROSTOCHIENSIS,

ET

RESPONDENS

PAULUS ARNOLD. WEHNER,

BOUXTEHOUDA - BREMENSIS, S. S. Theol. & Phil. Stud.

Anno MDCCXXIX. D. 13. Augusti.

ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typographic



1784

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
SISTENS

PHILOSOPHIAM  
VERAM

PHILOSOPHO VITIOSO

IN  
ALBERTI AD KAROLUM

CONTRA MISERABLEM

IN AUSTRO

M. JON. H. V. W. B. C. H. E. R.

UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
MAGDEBURG



VIRIS.

MAGNIFICO, SUMME REVERENDO, AM-  
PLISSIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. JOH. JOACHIMO  
WEIDENERO,

PHILOS. ET S.S. THEOL. DOCTORI AC PRO-  
FESSORI PUBLICO ORDINARIO, FACULTATIS THE-  
OLOGICÆ SENIORI, HODIE DECANO, MINISTERII  
DIRECTORI, AD D. Mariæ PASTORI, THEOLO-  
GO CELEBERRIMO, ET DE ORTHO-  
DOXIA MERITISSIMO,

DOMINO, MÆCENATI, PRÆCEPTORI  
ET AVUNCULO SUO HONORATISSIMO,

NEC NON

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ET SPECTA-  
TISSIMO DOMINO,

DOMINO

JACOBO WEHNERO,

INCLITÆ CIVITATIS ROSTOCHIENSIS

MERCATORI PRIMARIO, CENTUM-  
VIRO GRAVISSIMO,

DOMINO, PATRONO, EVERGETÆ

ET PATRUO FILIALI OBSER-  
VANTIA DEVENERANDO.



UT ET  
VIRO PRÆNOBILISSIMO ET DOCTIS-  
SIMO DOMINO,  
DOMINO  
**LUDOLPHO DAVIED  
WEHNERO,**


J. U. CANDIDATO ET JUDICII AULICI  
ADVOCATO ORDINARIO, FELICISSIMO  
FRATRI GERMANO.

HAS PRIMITIAS CATHEDRÆ ACADEMICÆ  
GRATI, DEVOTIQUE ANIMI,  
PRO COLLATIS SIBI

TOT TANTISQUE BENEFICIORUM GENE-  
RIBUS, INTERPRETES  
CUM VOTO OMNIGENÆ FELICITATIS  
D. D. D.

PAULUS ARNOLDUS WEHNER,  
S. S. Theol. & Phil. Stud.





# DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

## PRÆFAMEM.

- §. I. Tria dantur principia cognoscendi, Revelatio, ratio & experientia.  
§. II. Experientia Magistra prima est, sed insufficiens.  
§. III. Ratio illi subvenit, sed hæc sola sufficit.  
§. IV. Quare Revelatio in subsidium advocatur.  
§. V. Illi, qui hæc sunt sectati principia, homines fuerunt, a vitiis non immunes.  
§. VI. Qui tamen Veritates affectari sunt. Id quod ad thema applicatur.

X

## TRACTATIO.

- §. I. Explicat notiones & quidem vocem Philosophiæ.  
§. II. Objecta Philosophiæ considerat, & speciatim hominem ipsum.  
§. III. Objectum secundum DEum.  
§. IV. Objectum tertium: totum terrarum orbem.  
§. V. Notio Philosophi evoluitur.  
§. VI. De vera Philosophia agit.  
§. VII. Philosophum Viriosum exhibet.

§. VIII.

- §. VIII. Statum controversie exponit.
- §. IX. Removet illa, que in questionem haud veniunt.
- §. X. Exponit rationes the-  
ma probantes sex.
- §. XI. Addit adhuc sex.
- §. XII. Deducit argumen-  
tum, quod intellectus  
possit esse eruditus  
quamvis voluntas mala  
sit.
- §. XIII. Definit naturam  
intellectus.
- §. XIV. Declarat voluntatis  
indolem.
- §. XV. Ex his conclusiones  
deducit pro theses proba-  
tione.
- §. XVI. Removet illud, quod  
voluntas non semper de-  
terminet intellectum.
- §. XVII. Rationes dubitan-  
di quinque exponit.
- §. XVIII. Refutat primam  
quod Philosophus experien-  
tia destitutus, alios virtu-  
tem docere nequeat.
- §. XIX. Secundam, quod vi-  
tia Philosophos obturent.
- §. XX. Tertiam, quod vir-  
tuosus melius de virtutibus  
ratiocinari possit ac vi-  
tiosus.
- §. XXI. Quartam quod,  
quia virtutes sint conca-  
tenate, ob defectum pie-  
tatis & aliarum virtutum,  
Philosophus virtuosus verita-  
te quoque destituatur.
- §. XXII. Quintam, quod Phi-  
losophus vitiosus, illud, quod  
una manu extruit, malo e-  
xemplo dejiciat.
- §. XXIII. Exponit causas,  
cur Philosophi vitiosi virtu-  
tis praxin non sequantur.
- §. XXIV. Declarat quod e-  
mendatio Philosophi non a  
voluntate sed ab intellectu  
sit incipienda.
- §. XXV. Addit nullum Phi-  
losophorum sectam suis ca-  
ruisse nevīs & tamen veri-  
tates docuisse.
- §. XXVI. Concludit, nullum  
Philosophorum ad perfecti-  
onem omnimodam aspirare  
posse.
- §. XXVII. Paralelismi in-  
jicit mentionem, & thema  
absolvit.

PRÆ-





A 184 Ω.

## PRÆFAMEN.

S. I.



Ribus utimur cognoscendi  
principiis: Revelatione, Ratio-  
ne & Experientia, quæ sibi invicem  
subordinata, minus vero contraria sunt.  
Quippe illa est hominis sapientis at-  
que prudentis genuina indoles, ut  
expiscetur, & animi æqua lance per-  
pendat, quomodo felicitatem in hac  
& altera vita obtinere possit. Et cum sibi ipsi non vivat homo,  
sed obligatus sit ad commercium cum DEO & hominibus in-  
stituendum, mediis vero sufficientibus sit destitutus, apprime  
intelligit: quod equidem quotidiana experientia multa exhi-  
beat Phænomena, quæ sana ratio cognoscere & dijudicare  
valet, nec non certo nexu & ordine docere, ac adfelicitata-  
tem

A 2

tem

tem applicare; At enim vero facile deprehendet, illa omnia ad genuinam felicitatem & omnigenam minus adæquata esse, quare de meliori & rectiori via sollicitus, ad revelationem tanquam sanctam anchoram confugiet.

§. II.

Experientia etenim est quidem optima rerum Magistra, & omnium fere artium mater, sed sine ratione & accurata dijudicatione vix ac ne vix quidem sufficiet. Ambabus largimur, quod homo, vitam vivens, illa luculenter advertere possit, quæ usui & felicitati respondent; verum empirica erit scientia, & minus stabilis, quia tot objecta illi exhibentur, quot per totam vitam terminum cognoscere dijudicare & applicare non potest, piscator quoque ictus demum rectius sapiet. Quare viri perspicacioris ingenii &, eliamati iudicii experientia edocti sunt, præstare, si illa, quæ per tot temporum interstitia a multis essent observata, in unum redigerentur cumulum seu Systema, ut sic exquisito ordine & applicatione certa tmemata, quæ disciplinas appellitare solemus, aliis communicari possent. Quod institutum tenuia quidem habuit initia, progressum autem & eventum sæcundiorum: Et hinc crediderim, ortas esse, quoad maximam partem, disciplinas omnes & Systemata eruditionis.

§. III.

Per experientiam itaque exulta & emendata ratio, eo prospiciebat, quomodo vitam humanam & civili consuli posset, quare genuinis principiis & demonstrationibus adhibitis, id unice agebat, ut succinctus & solidus compareret nexus, quomodo quilibet ad perfectam felicitatem aspirare brevi & facili via posset, illamque obtinere datis adhuc finem adæquatis mediis. Id autem agendo, opinione citius edocebantur, quod sat angusti limitibus circumscripta ratio summum finem puta felicitatem, ob mediorem insufficientiam attingere non

non posset; Ut & quod innumera fere impedimenta hominem revocarent ab egregio hoc conatu. Homines quippe sumus id est vitiosa laborantes natura, quare subsistendum erat; Fidem hoc facile contra eos inveniet, qui Philosophia perfectionem et sufficientiam ad salutem tribuunt, si vel unicum ex Philosophia Morali caput dextre inspiciant e. g. De summo bono, de Virtute, de affectibus, &c. quæ sic sunt comparata, ut imperfectionem nostram satis demonstrant.

§. IV.

Quare ad altiora progredi conantes, revelationem in subsidium vocarunt, & ex illa perspicue & clare id sunt edocti quod felicitatem humanam stabilire & promovere possit, cum causas miseriæ digito quasi monstrat, imperfectiones vero naturales tollat, & ubivis illa doceat quæ ad commercium cum DEO & hominibus redintegrandum aliquid facere possunt. Et quamvis haud asseruerim, Revelationem Philosophiam quandam docere, id tamen evincere, non recusabo, quod omnium disciplinarum realium principia, subsidia, uberiores explicationes & applicationes facili negotio ex illa deduci possint. Manet tamen nihilominus Philosophiæ suæ dignitas & pretium. Tantum enim efficit quantum vires valent, & in eo lubenter acquiescit, quod finem monstrat & media, quoad ipsi perspecta sunt, indiget. quamvis ad finem & maxime ad summum finem, puta summam felicitatem perducere & media arripere & applicare ubivis & semper non valeat.

§. V.

Homines vero fuerunt, qui hæc cognoscendi principia sunt sectati, quibus autem non semper eadem contigit felicitas. Industriam equidem & omnem operam in eo posuerunt, ut vere humanæ consulerent felicitati: experientia tamen edocuit nos, eandem viam ipsos non semper esse secutos & quod

in multis labamur omnes; ratio hos Viros convicit, quod videant meliora probentque, deteriora tamen sequantur, & demum revelatio ipsa nos edocuit, quod omnimodam perfectionem homo pro presenti conditione assequi vix possit. Quid quod! viri Spiritus S. illuminatione immediata conspicui suo testati sunt exemplo, quod homines fuerint, hinc nihil humani a se alienum esse. Nolo falcem in alienam messem mittere, alias evincere facili negotio possem, quod vix ullus in sacris nominetur virorum divina illuminatione coruscorum, qui non aliquid humani passus esset.

## §. VI.

Veritatem tamen assecuti sunt æque Philosophi atque Theologi, & quamvis voluntas in transversum acta, intellectus tamen factus atque integer, quantum ad veritates attinet, fuit, ex quo ipso luculenter infra patebit quod Veritas in injustitia possit detineri, & quod vera possit esse eruditio, quamvis vita non semper intellectus principiis respondeat, & cum hoc ad Philosophiam applicare animus mihi sit, sub sequens Tractatio pro viribus meis exhibebit, *Philosophiam veram in Philosopho vitiosa*. DEUS a partibus meis unice stabit & optimus mihi erit adjutor:

## TRACTATIO.

## §. I.

**I**psa thematis mei indoles a me exigere videtur, ut notionum sollicitam habeam rationem, qua data occasione, quasi in tabula exhibebo, qualem mihi de Philosophia

sophia formaverim conceptum, & qua ratione illam alios docere annitor. Philosophia itaque mihi est illa solida & vera doctrina, quæ ex rationis principiis docet, quomodo felicitatem omnigenam cognoscere, sectari, & ad illam feliciter aspirare valeat homo.

Quæ Philosophia gignit in audientibus illam, scientiam, sapientiam, & prudentiam, adeo ut homo his effectibus instructus gloriari possit de habitu, qui in praxi ubivis sese exferit.

Habitu hoc perficimur ad docenda, defendenda, & applicanda sanæ rationis dogmata ad veram hominum felicitatem.

Varia autem cum dentur objecta, circa quæ hæc doctrina occupatur, eo prospicit homo sapiens, ut ordinem & nexum habeat, quo in applicatione illorum ad suam felicitatem neque fallat neque fallatur. Sunt vero objecta palmaria: DEus, homo ipse, atque totus terrarum orbis, circa quæ hoc summum obtinet principium: *Fac ut sis felix*, seu scrutare, ut summam obtineas felicitatem:

§. II.

Quare eo collineare videtur tota Philosophiæ constitutio, ut nos edoceat.

I Cognitionem nostri atque illarum partium, quæ ad felicitatem nos promovere possunt; A nobis quippe ipsis est incipiendum, & cum homo constet ex duabus substantiis, anima & corpore, eo reedit hæc institutio ut 1) perficiat intellectum ad cognoscenda illa omnia, quæ ad felicitatem aliquid facere possunt,

possunt, hoc autem aliter fieri nequit, nisi errores illorumque causæ monstrantur, & pro viribus eradicentur, unde enata est disciplina *Logices*. 2.) Intellectus autem per *Logices* præcepta emendatus, illa nunc cognoscere allaborat, quæ ad felicitatem suam vergunt, hinc ex *Philosophia* instruitur principiis & mediis universalibus, quæ ubivis applicare potest, quæ institutio, recepto termino, *Metaphysices* nomine insignitur. 3.) Subsequitur voluntas, cujus emendatio intellectum quidem antecedere nec debet, nec potest, statim tamen subsequi, & cum illa eo dirigenda, ut in omnibus actionibus ad normam & amussim agat, ejus curam sustinet *Ethica*. 4.) His additur nunc cognitio totius nostræ animæ quoad existentiam, essentiam, & attributa ejus peculiari disciplina, quæ *Psychologia* insignitur. 5.) Superest corpus cognoscendum, emendandum & dirigendum, cui equidem peculiaris disciplina nondum est constituta, constitui tamen omnino deberet, *Somatologia* a nonnullis solet injicimento, quicquid tamen adest, illud in *Physica* speciali latere vel in *Antropologiis* contineri, historia docet.

§. III.

II. Cognitionem summi Numinis docet *Doctrina Philosophica* & quidem illius sensum & cultum, hoc ut distinctius fiat. 1.) Docet illius sensum id quod fit in *Theologia Naturali dogmatica*, 2.) Illius genuinum cultum, id quod fit in *Theologia Naturali Moralia*. Novi equidem quod officia, erga DEUM a nonnullis in *Ethices* compendiis doceri soleant, quod tamen

tamen non adeo commode fieri autumo, quamvis de methodis non sit disputandum: Accedit autem quod æque sensus ac cultus DEI vel in dubium vocetur vel plane abnegetur, vel additionibus humanis mutiletur; quare III. accedit Theologia Naturalis Polemica, quæ contra Atheismum & superstitionem acriter insurgit. His omnibus ob insignem analogiam creaturarum nobilissimas addere solemus: nempe Spiritus, & quidem peculiari disciplina, quæ vel Pneumatica vel Dæmonologia dicitur:

§. IV.

III.) Cognitio totius terrarum orbis subsequitur & quidem.

I.) Hominum, cum quibus nobis intercedit commercium: sive in statu naturali sive civili degant, quomodo itaque cum illis. α) Omnibus & singulis versari debeamus, docet Juris prudentia divina universalis cujus partes sunt 1.) Jus Naturæ strictè sic dictum 2.) Jus Gentium 3.) Jus Publicum universale. β) Quomodo cum illis, qui vel amicitia vel alio nexu nobiscum sunt conjuncti vivere possimus, docet disciplina Decori. Circa totum vero Commercium felicitas nostra debet esse conspicua, sic ut omnibi prudenter agamus hoc autem ut eo felicius contingeret, nata est Politica.

II.) Rerum, quæ præter homines ad nostram felicitatem in genere aliquid conferunt: hinc Physica Generalis, Specialis, quid quod! specialissima, circa quarum rerum dispensationem & applicationem ad felicitatem, quando in nostra sunt potestate, occupatur Oeconomica.

§. V.

Philosophi itaque ille nomen sustinere potest,  
B qui

qui has disciplinas docere, & ad felicitatem humanam viam monstrare valebit, & quidem ex principiis naturæ evidentissimis, hoc ut ex actius fiat instruitur ex ipsa Philosophia.

I.) Scientia, qua cognoscit illa dogmata, quæ ad veram felicitatem pertinent & hæc ita demonstrare novit, ut suæ & aliorum conscientiæ fatis fiat, adeo ut etiam contra dissentientes assurgere, & dogmata Philosophica mascule defendere possit; quæ scientia maxime versatur circa Verum, seu Veritatis officia ubivis exferenda.

II.) Sapientiâ, qua perficitur ad dijudicanda sanæ rationis dogmata; & promptius destinanda illa ad debitum finem, adeo ut semper sectetur bonum, illudque dignoscatur ex sufficientibus rationibus, falsaque ab his sagaciter discriminet, nexum præterea servat & accuratum ordinem & semper agit ad finem acquisitu probabilem aut saltem naturaliter possibilem; quare duplex sibi impositum animadvertit officium; alterum debitos actionibus humanis præstituendi fines, alterum præscribendi normam recte agendi, nimirum regulas, Veri, Pii, Honesti, Justi, Decori & Utilitatis.

III.) Prudentiâ, quæ instruit Philosophum, quomodo ad finem præstitutum legitimis mediis aspirare, acquisitum conservare, & augere possit, docet præterea sanctissimum illud axioma: Conserva Te in statu, in quo es constitutus, si emergere potes honestis & legitimis mediis emergas, si non generosa patientia providentiam summi Numinis expectes.



§. VI.

Sufficiant hæc de notionē Philosophiæ & Philosophi: nunc dispiciendum de attributo, quod rubrum Philosophiæ vindicavit: quippe verum. Vera autem dicitur Philosophia.

I.) Quia conformitatem cognitionis cum ipsis rebus suppeditat.

II.) Quia ex principiis genuinis, certis, atque domesticis procedit.

III.) Quia perficit Philosophum ad docenda, dijudicanda & defendenda Sanæ rationis dogmata.

IV.) Quia sibi habet legitimum finem præstitutum nempe felicitatem in vita humana obtinendam & ubivis graviter applicandam.

V.) Quia optimis, decoris, facilibus & tutis mediis ad consequendum finem utitur.

VI.) Quia instruit etiam, quomodo praxin instituere & virtutem colere debeamus: facile hinc dispalescit, quod digitum æque ad principia cognoscendi quam effendi intendam, hæc enim illorum esse fundamentum, quilibet largietur.

§. VII.

Supereff notio Philosophi Vitiosi explicanda, quod autem vix fieri poterit, nisi dilucide appareat quid sit vitium: quod est constans desiderium voluntatis ad perverſam mentis indolem agendi. Id quod ex opposito nempe virtutis definitione pateſcit, quippe quæ est constans voluntatis desiderium, agendi in omnibus ad voluntatem DEI. Ex combinatione itaque idearum, Philosophi & Vitii hæc Philosophi Vitiosi emergit definitio: quod sit Eruditus scientia

entia sapientia & prudentia rerum & dogmatum Philosophicorum instructus, quibus sibi & aliis consulere potest, hæc omnia tamen propter malitiosam voluntatis resistantiam, in sui ipsius felicitatem non semper & omnibi adhibens, sed perverse potius vivens. Crediderim hæc omnia sibi satis constare, cum æque idea Philosophi ac idea vitii sint combinatæ. Nolui autem vitium in Philosopho definire per habitum, cum tantillum & unica aberratio & prævaricatio jam vitiosos reddat.

§. IIX.

Nunc ad statum controversiæ & quæstionis accuratius erit respiciendum, qui ad hoc thema redire videtur.

Num Philosophus qui scientia sapientia & prudentia instructus est Philosophica, atque habitum sibi conciliavit docendi & defendendi Philosophica dogmata, vitam tamen vivens vitiosam subleam & sceleratam, veram Philosophiam habeat, illamque cum fructu & salutariter alios docere possit. Aut an vitia & scelera ejus illum vera Philosophia privent & falsum Philosophum reddant adeo ut propter vitia amplius non habeat & intelligat nec salutariter docere possit Philosophiam. Quibus præstructis hanc thesin ore & corde profiteor.

Philosophus, qui sanæ rationis dogmata callet, & habitum sibi comparavit docendi & defendendi illa, ob vitæ pravam indolem hoc non privatur habitu, sed habet veram Philosophiam & illam æque docere potest ac ille qui virtutem sectatur.

§. IIX.

§. IX.

Monenda erunt sequentia.

I.) Quod omnino concedamus, Philosophum obligatum esse ad vitam honeste transigendam & ob insignem intellectus notitiam magis teneri.

II.) Quod sermo nobis non sit defalsa Philosophia, quæ ex spuriiis principiis procedit, illegitimum sibi præstitutum habet finem & spuria in subsidium advocat media.

III.) Quod de superficialia eruditione non disputemus, quæ potius Charlataneria (sit venia verbo) & eruditio circum foranea insigniri meretur.

IV.) Quod largiamur, Philosophum per continuam vitiorum actionem eo redire posse, ut adulteret dogmata, sibi que persuadeat, vitam suam esse honestam, quamvis ad tutandam nominis & officii famam contrarium vel invitus docere cogatur & obligetur.

V.) Quod æque intelligamus in Philosopho vitia decumana & proæretica, quam illa quæ intra cordis cancellos obruunt illum.

VI.) Quod non de Vitiis naturalibus disputemus, quales in Socrate & aliis fuerunt sed de vitiis moralibus.

§. X.

His determinatis sic ratiocinor: Philosophia manet vera in Philosopho Vitiōso, quamvis vitiorum spurcitie scateat, voluntas sit depravata & affectus ac passiones dominantes plane enormes sint.

I.) Quia illius Intellectus est nobilissima veritatum Philosophicarum scientia sapientia & prudentia

imbutus, qua de re doctrina & scripta horum virorum non solum testantur sed etiam ex Philosophiæ & habitus natura aliter fieri non potest.

II.) Quia hæc scientia sapientia & prudentia cum principiis sanæ rationis convenit.

III. Quia scientiam suam ex principiis evidentissimis demonstrat, experimenta exhibet, & sic proponit, ut nihil rei ipsi desit.

IV.) Quia eandem cum Philosopho, virtute conspicuo, doctrinam inculcat, eadem via & methodo incedit, & interdum dono docendi superate potest.

V.) Quia effectus bonos producit, dum scribit sic, ut illi, quibus ejus vitæ fama non innotuit eruditionem & Philosophiam ex illius scriptis colligant & addiscant, dum porro ipse indies incrementa eruditionis & Philosophiæ habet, dum demum discipulos reddit, qui ex illius schola tanquam equo Trojano defiliunt.

VI.) Quia verum intendit finem, quippe erudire semet ipsum! & alios ad felicitatem sectandam, quem finem adeo feliciter assequitur, ut non solum constitui possit publicus Philosophiæ Doctor sed etiam eandem spartam ornare & discipulos, veri nominis Philosophos, enutrire possit.

§. XI.

VII.) Quia legitimis utitur mediis decoris, facilibus, tutis, & ad finem puta felicitatem & eruditionem ad æquatis.

VIII.) Quia omnia sua dogmata ad actiones bonas applicat, & veram monstrat viam, quod quominus facere possit, quam pius non video.

IX.

IX.) Quia intellectus potest esse excultus & emendatus quamvis voluntas in transversum abripiatur, cum homines videant meliora probentque, ob corruptam tamen voluntatis, affectuum & passionum prædominantium impetum tamen non sequantur.

X.) Quia vitia in Philosopho tollere intellectus notitiam non possunt, quod infra clarius deducam :

XI.) Sequeretur, veritatem dependere a voluntate & criterium veritatis esse in voluntate, quod absurdum ; & veritatum efficaciam dependere a subiecto, cum omnes veritates per se sint vivæ & efficaces.

XII.) Sequeretur, unam eandemque veritatem, e. g. dari summum bonum, simul & veram esse in Philosopho Virtuoso & falsam in Philosopho vitioso :

Luculentius hæc omnia ex uberiori discussione patebunt :

§. XII.

Peculiarem deductionem a me postulare videtur numerus IX. quod quamvis intellectus sit eruditus & optima rerum notitia instructus, voluntas tamen in contrarium ruere possit: quod tamen facile patebit.

I.) Quia veritas est in intellectu, bonitas autem in voluntate, hinc quod intellectus possit habere attributa sibi debita, quamvis voluntas nondum sequatur.

II.) Quia non adeo arctus intellectum inter & voluntatem est nexus, ut sublatis unius perfectionibus tollantur quoque alterius attributa. Non negaverim, esse quandam unionem voluntatem inter & intelle-

tellectum, quid quod! quandam a providentia divina singularem constitutam harmoniam, experientia tamen docemur, quod illa unio sapius ex aliis causis interrumpatur.

III.) Quia emendatio hominis non abs voluntate sed intellectu incipienda, quam thesin quilibet largietur, qui nubem testium, & ipsam rationem in consilium advocabit. Si igitur illud verum, concedi debet, quod intellectus jam eruditus esse possit, quando incipimus emendare voluntatem, thesin autem hanc de emendatione intellectus voluntatem antecedentem infra succinctius enucleabo.

IV.) Quia militat pro me experientia, quod sapius contingat illud proverbium: *Die Gelehrten die Berkehrten*, nec non hominum natura & indoles, quæ sic est comparata, ut raro ad intellectus principia, sed plerumque ex affectibus & passionibus agat, denique tot eruditorum exempla, quæ allegare charta & prudentia vetat.

§. XIII.

Fortean clarius hæc patebunt ex accuratiori intellectus consideratione, quippe cujus essentia in eo est posita, quod omnia sibi repræsentet l' possibilem objecta, hæcque cognoscat, dijudicet & applicet sic, ut objecta materialia plenius cognoscat, causas illorum & effectus dijudicet, & in pleniori scrutamine acquiescat, immaterialium vero existentiam apprehendat, essentiam vero altiori relinquat indagini, quamvis varias præterea operationes & effectus videat, ex quibus hæc pronò sequuntur alveo, quod intellectui sit essentialis conscientia, qua motuum interno-

ternorum animi sibi conscius est in omnibus operationibus suis, quales sunt quando.

I.) Ideas rerum præsentium l' externarum l' internarum percipit Sensatione:

II.) Rerum absentium ideas contemplatur imaginatione.

III.) Res futuras, quarum aliquid simile vel vidit vel audivit olim, sibi repræsentat Phantasia.

IV.) Ideas retinet & conservat memoria.

V.) Eas revocat reminiscencia.

VI.) Conjungit & disjungit judicio.

VII.) Novas exinde elicit mediante ratiocinatione.

VIII.) Tandem multas sententias, reflexiones, ratiocinationes in ordinem reducit certa methodo. Superfunt fortean plures intellectus operationes; sed sufficiunt hæ enumeratæ, ex quibus quilibet colligere poterit, quod pleræque hæ operationes sine voluntatis concursu suscipiantur, quamvis interdum voluntas intellectum movere possit, ut hanc vel illam rem sibi repræsentet:

§. XIV.

Addam etiam, ut major rei accedat lux, naturam & indolem voluntatis, quæ est illa animæ nostræ diversa ab intellectu facultas, qua eligimus bonum & averfamur malum. Illa quippe est naturalis hominum propensio, ut sponte sua illud eligat, quod sibi congruum & proficuum videtur, aversetur vero & respuat, quæ tantillum incommodi secum ferunt: Aversatio hæc & delectatio semper ad

C

ratio-

rationis principia fieri deberent, sapius tamen & plerumque in nondum plene emendatis contingit ut vel consuetudo vel naturalis inclinatio & propensio in illud ruant, quod boni speciem habet, vere tamen malum est.

Quæ prævaricatio sapius fit reluctante intellectu & melius informato, interdum tamen per pravas cupidines excæcato, ut complacere & descendat in voluntatis impetum; Facile in hac causa illi mecum consentient, qui affectuum & passionum dominantium naturam & impetum norunt. Cum itaque in causas inquirimus, ubi errorum & malorum principium fit constituendum, facile quidem concedo: errores esse in intellectu, voluntatem tamen illiusque affectus largam præbere errandi causam, omnino profiteor. Quippe circulus est deceptorius voluntatem inter & intellectum:

§. XV.

Ex his crediderim innotescere posse.

I.) Quod omnes & singulæ intellectus operationes non dependeant a Voluntate, hinc illas factas atque integras esse posse sine voluntate.

II.) Quod voluntas equidem in operationibus suis prælucente agere debeat intellectu, sponte tamen & naturali impetu in illud ruat, quod blanditur inclinationibus ejus, & quod sapius iterati actus hominem quasi determinent ad hanc vel illam actionem subeundam, reluctante & aliter persuaso intellectu.

III.) Quod equidem intellectus movere possit voluntatem morali persuasione, ut acquiescat & paulisper



lisper immutetur, non autem præstruere, quo minus ad antiquum frugi sapius redeat voluntas.

IV.) Et demum quod intellectus quamvis voluntas mala & vitiosa sit, possit esse eruditus & veritate imbutus.

Unde autem hoc contingat, ut homines magis ad intellectus quam voluntatis emendationem adspicient, infra determinabo. Illud vero mihi certum atque constitutum, intellectum excoli posse eruditione, quamvis voluntas vel raro vel sero emendetur, quia hominum plerique magis ad theoriam quam ad praxin sint faciles.

§. XVI.

Cum etiam id mihi obstaculo esse possit, quod intellectus ad cognoscendum dijudicandum & applicandum voluntatis motibus determinari dicatur, facile rehero quod equidem fiat, ut voluntas adeo grante rem exhibeat, ut intellectus ad cognoscendum flectatur, at enim vero hoc in simplici cognitionis actu non fieri inde dispalescit.

I.) Quod voluntas non possit agere, nisi intellectus actum cognoverit & dijudicaverit, illumque vel falsum vel verum l' bonum vel malum dicitaverit. Quo facto sæpe contingit, ut major voluntatis sit propensio ad malum quam ad bonum, quæ inclinatio adeo interdum augetur, ut intellectus non possit impedire, quo minus contrarium fiat, interim tamen habet & scit veritatem contrariam facto, quæ per scoelus aut vitium non immutatur sed in intellectu vere manet.

C 2

II.) In-

II.) Inplerisque veritatibus & rebus est adeo clara & interdum sensualis evidentia, ut voluntas nil agat nec moveat.

III.) Conscientia nostra sic stimulat, ut voluntatis machinationes minus valeant, quare inde patet, voluntatem non semper determinare intellectum. His ad thema meum specialius applicatis, luce meridiana clarius apparet, quod Philosophus, quamvis vitiis, in voluntate residuis, laboret, veram tamen Philosophiam habeat, illiusque malam voluntatem veritates eradicare non posse.

§. XVII.

Sollicitius hæc omnia meditati rationes dubitandi conspectui sese exhibent, quales sunt.

I.) Quia Philosophus vitiosus experientiam non habet virtutum, hinc quod alios docere illas incommode poterit.

II.) Quia Philosophus qui vitiis laborat & quidem interdum scienter, ob nominis famam & officii rationem illa tegat, nec adeo dextre exponat, ne auditores applicationem ad præceptorem faciant.

III.) Quia virtuosus & pius Philosophus de virtutibus tanquam convictus & persuasus melius ratio- cinari possit.

IV.) Quod virtutes sint concatenatæ, sic, ut una deficiente reliquæ quoque esse desinant, hinc virtute absente veritatem quoque exulare.

V.) Quod Philosophus vitiosus illud, quod una manu extruit, altera iterum dejiciat, dum pessimo exemplo suspensionem movet, quod veritatem non habeat,

habeat, aut de illa non sit convictus, quia illam in praxin non deducit: taceo reliquas objectiones, quæ formari possunt.

§. XIX.

At enim vero: primam quod attinet dubitandi rationem, respondeo: quod vitiosus Philosophus habeat scientiam & experientiam rerum bonarum, cum non tantum rerum moralium causas apprime sciat, sed etiam tot virtutum videat paradigmata, & in sua conscientia sit convictus, actiones sic & non aliter ad legis normam esse componendas, ulterius non sequitur, quod illi, qui rerum experientia propria sint destituti, vera notitia quoque careant. Philosophus quippe eleganter e. g. de paupertate ratiocinatur, quamvis nunquam ad incitas sit redactus: Politicus in Academiis hanc tradens scientiam, nunquam tamen in curiis principum versatus, vera docet principia & axiomata Politica. Miles, qui in Palæstra exercitorum omnia certaminum genera, & stratagemata edoctus, cum hoste autem manum conferendi occasionem nondum habuit, veram habet rerum militarium notitiam: Demum praxi sua etiam contrarium declarantes vera notitia imbuti esse possunt, quia alias legum prævaricatores poenam luere non possent, semper obvertentes, quod ignari legum fuerint, cum tamen obligatio ad cognoscendum adfit, malitia autem voluntatis in causa fuerit, quominus præscripto legum optemperarent. Ex his fiat ad Philosophum vitiosum applicatio.

C 3

§. XIX.



§. XIX.

Secundam dubitandi rationem aggredior, nempe quod vitia in Philosopho illum interdum loqui vetant, verum enim vero.

I.) Philosophus vi officii & pacti tēnetur hac de re, adeo ut has res propter totum Philosophiæ nexum non possit transilire, saltem virtutes in vitia & hæc in illas vice versa non transformare.

II.) Præsumtionem semper pro se esse, sibi persuadet Philosophus & docendo vitia non sese exhibet exemplum, sed abstrahit & veritates pro illarum natura & indole docet.

III.) Dantur tot Philosophorum exempla, quæ suas imbecillitates vivis coloribus & emphatice satis delineant, adeo ut de nullo vitiorum adeo graphice sint sermocinati ac de suis.

IV.) Esto etiam, quod interdum fugitivo oculo & sicco pede vitia & illorum sceditatem transgrediatur, num propterea Philosophus falsus erit, & numne veritates, quas habet & profitetur nihilominus veræ manent?

§. XX.

Insufficiens etiam & tertia dubitandi ratio mihi videtur, quod virtuosus experientia edoctus melius de virtutibus ratiocinari possit ac vitiosus, nam ex inde sequi videtur, quod vitiosus melius & ἐμφατικῶς de vitiis philosophari possit, quam virtuosus, quia continua experientia omnes causas & vitiorum illecebras illi reteggit, sed salva res est, quippe.

I.) Expe-

I.) Experientia quidem est rerum magistra, sed sola non efficit Philosophum.

II.) Philosophus ægre omnes res experientia assequi potest.

III.) Experientia est individualis, Philosophus autem abstrahit de individuis, & abstracta docet.

IV.) Experientia non reddit Philosophum meliorem, quamvis certiore & confidentiore.

V.) Esto etiam, quod in rebus moralibus continua experiendi alacritas multum ornamenti & certitudinis conciliet Philosopho, quæso autem, num ille qui his destituitur non maneat Philosophus & quidem verus? quia ad Philosophum non præcipue attinet agere, & omnia experiri, sed demonstrare, docere, convincere.

VI.) Potest esse, quod Philosophus vitiosus plura viderit virtutum & vitiorum exempla quam pius, quod plures legerit libros practicos, quod proveciores sit annis, quod olim ipse virtutem strenue coluerit, in vitia tamen degeneraverit. Quæso! num superari poterit ab homine probæ & virtuti litante; num ne ex eodem principio ratiocinari poterit ac pius?

VII.) Præterea Philosophus non semper suo testimonio probare poterit dogmata, siquidem nisi discipuli ejus authoritatis laborent præjudicio, verbis fidem non semper habebunt, nec facta allegata sancta & consummata, demonstrationi autem liquidæ aures semper præbebunt patulas.

§. XXI.

Ad quartam dubitandi rationem veniens, probe memini quod virtus in se & generatim spectata non nisi sit una atque unica, nempe constans & perpetuum desiderium ad voluntatem divinam agendi in omnibus actionibus. Crediderim tamen virtutem illiusque exercitium non spectare ad intellectum sed potius ad voluntatem, nam quamvis intellectus notitia omnino requiratur, & quamvis a principiis intellectus omnis dependeat actio hominum moralis, ultimum tamen propositum & exercitium quid quod desiderium est in voluntate. His præsuppositis statuo :

I.) Veritas potest adesse omnino quamvis praxis Veritatis desit. Et veritas seu ratiocinatio & notitia de vera virtute omnino adesse potest in Philosopho, quamvis ultimum propositum & agendi desiderium deficiat.

II.) Philosophus ex officio veritatem profitens est alius, ac ille, qui obligatione ad agendum tenetur, quippe hoc certum, quod Philosophus teneatur obligatione ad agendum, cum autem hanc viam migret, profiteri tamen pergit & omnes docet veritates, manet & est veri nominis Philosophus :

III.) Veritas cum virtus sit & quidem moralis, quia obligatio ad veritatem datur, eatenus etiam in voluntate est, quia Philosophus vitiosus in hoc officii sui partes esse positas advertit, ut sincere & fideliter alios erudiat, quod autem hac virtute in praxin deducta reliquæ virtutum species non subsequantur,

tur, id aliis rationibus adscribendum esse crediderim, & quidem illis, quæ supra evicerunt, quod Philosophus verus esse possit, quamvis vitiosus sit in moribus :

IV.) Cum vero ex his sequi videatur, contradictionem esse, quod Philosophus unam virtutem, nempe veritatem habeat, reliquis vero sit destitutus, peto, ut mecum considerent distinctionem inter virtutem & exercitium virtutis. Habet omnino Philosophus veritatem tanquam virtutem & hanc exerens, etiam reliquas tanquam cum veritate conjunctas habet, & novit illarum executionem, verum prava indoles resistit, quo minus agat.

V.) Notam secundam paulo plenius deducam: nempe Philosophus quatenus homo est, obligationem habet ad componendas singulas actiones ad voluntatem DEI, hinc in una vel altera Virtutis specie deficiens, desinit esse virtuosus; at enim vero, quatenus Philosophus est, hanc officii rationem hancque virtutem esse videt, ut doceat & veritatem profiteatur, hanc vero normam prævaricans, desinit esse Philosophus, hanc autem viam calcans, verus est Philosophus.

VI.) Et hoc etiam ad hanc causam notandum autumo, quod officia probe sint distinguenda a virtute, nam hæc interna est & in rectitudine animi consistit, officia autem sunt externa, quæ equidem semper ex honesto animo proficisci deberent, cum autem non proficiscantur, vera esse haud desinunt, esto exemplum: Rusticus quotannis districtus præfecto seu

D

suo

fuo Domino ex pacto pecuniam solvens, indignanti animo præbet pecuniam, & vel mille mala apprecatur præfecto, absolvitur tamen, chirographum obtinet, & officia vere expleviffe dicitur, quamvis animus a defiderio ad voluntatem DEI agendi fuit remotiffimus. Fiat applicatio ad causam: Philosophus professione talis, docet, defendit dogmata; quilibet acquiescit suis demonstrationibus, at enim vero animus illius est formolentus, & indignanti interdum affectu officium explet, officia Philosophi tamen explevit:

§. XXII.

Supereft dubitandi ratio quinta: nempe de exemplo malo & scandalo, quod Philosophus Vitiosus præbet: sed.

I.) Non negaverim, quod exempla multam ad persuadendum habeant efficaciam & vim, sed unde? ex præiudicio hominum, qui rebus sensualibus adfecti, vix aliquid abstracti comprobant, nisi similibus & exemplis sit illustratum.

II.) Præiudicium itaque hominum est, si optima dogmata a vitioso accipientes Philosopho, eam ob causam illa recusant, quia sibi met ipsi illa non applicat. Esto instantia: quando prodigus omnia sua dilapidat bona & malitiose sese his privat, num ne illi, qui hæc bona acceperunt, verum aurum, argentum &c. acceperunt? quamvis prodigus ille male sibi prospexerit, habeat itaque sibi ille vitiosus Philosophus, qui vera bona aliis dispensat, sibi vero non applicat.

III.) Et



III.) Et numne eo ipso stabilitur autoritatis præjudicium? quando non veritatibus ipsis fidem habemus, sed sola docentis persona & praxi confidimus, hinc principium evidentiae locum amplius non habebit, sed: hoc pius meus dixit Præceptor & sua experientia & factis probavit: ergo verum?

IV.) Veritas in se est viva & efficax, sic ut virtutem & efficaciam non habeat a subjecto: sed a semet ipso, aurum quippe non majoris evadit pretii, quando a lauto & splendido venditur mercatore, ac quando putridus & spurcus Appella hoc emendum tradit.

§. XXIII.

Veritas autem cum semper sit viva & efficax, dubium hoc movere posset, qui fiat, quo minus operetur in Philosophis vitiosis, quippe fontes circa scaturiginem ampliores exserant fructus, quam quando alia arva irrigant, unde itaque fiat? ut hujus furfuris homines, quæ credunt & profitentur, non quoque agant, & quod proverbium illud interdum sit veriverbium: *Die Gelehrten, die Verkehrten*: hinc respondeo.

I.) Veritas est omnino per se viva & efficax, sic ut non solum hominem erudire & perficere possit sed etiam ad praxin deducere: verum enim vero voluntatis illa est dura cervix, ut malitiosa resistentia contumaciam extendat, quo minus actio subsequatur.

II.) Cultura intellectus voluntatem antecedanea inter-

interdum adeo negligitur, ut parum temporis illi impendatur.

III.) Homines magis delectantur ingenii & intellectus dotibus, & majora honoris ac fortunæ incrementa ab illis expectant, virtus autem friget & alget plerumque:

IV.) Disciplinarum speculatio & abstractiva consideratio plerumque tempus exigit, & adeo interdum inflat homines, ut illa sola acquiescant, executionem vero negligant.

V.) Et demum Philosophi homines sunt, hinc nihil humani ab illis alienum erit:

§. XXIV.

Thema meum ex inde quoque oppugnari possit, si hinc concluderetur, malis his remediari posse, quando emendatio voluntatis intellectum esset antecedanea, eo ipso quippe Philosophos pios & veros evadere posse, cum nemo inficias ire possit. Philosophum virtuosum esse debere, & majoris æstimmii illum esse, qui veritatem docet & ipse sincere exequitur, quam ille, qui veritatem quidem profitetur, ipse autem ad illam non incedit.

Quod ultimum omnino ambabus largior, primum autem asserere nunquam potero, nempe voluntatem prius ac intellectum emendari debere. Novinales & qui viri hanc habuerint hypothefin, & quibus argumentis defendatur. Novi etiam probe, quod passiones dominantes, avaritia, voluptas & ambitio sint

sint plerarumque actionum fontes & principia: sed novi etiam nubem testium, & illorum, qui contra hanc hypothesin mascule insurvexerunt, quare actum agerem, si de charta in papyrum argumenta conscriberem, pace autem lectoris fiat, ut quædam ad causam meam facientia exponam & quidem illa quæ ad Philosophum speciatim attinent nempe.

I.) Si emendatio voluntatis intellectum Philosophi antecederet, equidem eo ipso evaderet fortean Pius, non tamen eruditus & Philosophus, at enim vero impossibile est Philosophum prius Pium esse posse quam eruditum, ignoti enim nulla cupido.

II.) Philosophus est imbuendus rerum |optimarum |scientia, sapientia & prudentia, antequam virtutem exercere potest;

III.) Moveri Philosophi voluntas haud poterit nisi per rationes.

§. XXV.

Thema itaque meum ex rationibus probantibus, quantum fieri potuit perspicacia, ornavi, possem nunc illustrationis gratia exempla satis larga & testimonia amplissimorum virorum adducere, parcius autem agam; sufficiat quædam selecta themata ad causam meam facientia levi penicillo adumbrasse & quidem.

I.) Nullam Philosophorum sectam caruisse suis nævis, & Philosophorum quoque principes suos  
 D 3 passos

passos esse manes, homines etenim fuerunt, veritates tamen professi sunt, quas nunc ambabus arripimus manibus, nec unquam veritates ab illis inventas applicantes, in mentem nobis venit, num etiam fuerit hic vel ille Philosophus vere virtuosus. Posteritas largam messem ex illorum segete colligens, gaudet de abundantia & fertilitate, haud curans, num manus scabiosa, vel egena vel rustica femem terræ mandaverit. Incedimus honestis & decoris vestibus, non curantes: num sartor ipse vel non habuerit vestes, vel scabiosa manu plicas composuerit, & claudicante pede inceserit. Sunt nobis veritates, quas ab hominibus accepimus, tamquam limpidissimum aurum, quod per illorum vitia aut vitiosam manum deteriorari non potuit. Navos omnino habuerunt Philosophi, & illos interdum satis magnos. Accusandus esset Pythagoras quod præjudicium autoritatis inter suos constituerit. Accusari possent Sectæ, Eleatica, Epicurea, Sceptica, Ionica, Peripatetica, Stoica, & quæ unquam in orbe fuerunt, nihilominus veritates habemus ab illas vel inventas vel expolitas, quas magni facimus.

§. XXVI.

II.) Nullum Philosophorum eo adspirare per totam vitam posse, ut plane labis sit immunis. Notum quippe, quod ne Theologia quidem nostra Perfectissimum introducere possit, multo minus Philosophia tale quid præstare poterit. Stoici equidem id omnibus agebant viribus, ut sapientis Viri nomen &

& omen sustinerent, sed quis illorum fastum & superbiam odio non habebit? Impossibilia requirebant a Sapiente suo, quis autem unquam talem vel vidit vel audivit Sapientem. Si ad ævi recentioris Philosophos digitum intendere vellem, fortean in promptu essent paradigmata illorum, qui equidem ad perfectionem & perfectam pietatem aspirare allaborarunt, factis autem declararunt quod homines fuerint. Alius majorem fortean haberet erga DEum & res divinas reverentiam, si vera pietate esset instructus, Alius alium convitiis non proscinderet, alter alterum malarum artium non insimulasset, Alter alterum Atheismi non postulasset, alter cum collegis non tanquam rixator & molossus viveret, alter alterum Pædantismi, Indifferentismi, Libertinismi non accusasset & quidem adeo immerito, si vera integritas animo illorum infixæ sedisset, si fides & humanitas illorum calamus direxisset, si causam æqua anima lance perpendissent. Exempla sunt odiosa, sed exhibeas quæso mihi Philosophum, qui nunquam prævaricaretur & eris mihi magnus Appollo: Quis quæso latebras cordis perstrutari potest, & esto quod Philosophus omnibus numeris absolutus videatur, num ne pellicis ovina & simulatio vulpem tegere possunt? Sufficiat: Veritas manet, & manet ille demum Philosophus verus, qui vera dogmata profitetur, si male vivit, habeat effectum sibi.

§. XXVII.

Paralelismum thematis mei insituere possem,  
cum

cum illa controversia, quæ Nostrates Theologos inter & Hallenses præcipue intercessit, cum horum hypotheses satis sunt notæ, falcem autem nolo in alienam messem immittere, & nondum viribus meis tantum tribuo. Illud autem erit monendum, quod Viri Philosophi, multæ famæ & egregiæ eruditionis, quorum nomina impensius veneror, contrariam profiteantur sententiam, & non solum hominis emendationem a voluntate esse incipiendam Judicant, sed etiam spuriam & falsam illam esse Philosophiam autumant, quæ abs homine vitioso docetur. Nolo his viris bellum inferre, feci autem quod potui, deducendo thema meum ex suis rationibus, quibus unice confisus aliorum me expono judicio. Nolui catervam testium & Viros eruditos pro mea allegare sententia, sed dispicere quid mei valerent humeri, quid ferre recusent; DEO autem sit laus, honor & gloria.

S. D. G.

VIRO

**D**uß Du, Geehrter Freund, zu der  
Catheder gehest,  
Durch Deine Gründlichkeit vollkom-  
men wohl bestehest,  
Ist Ruhm- und Lobens werth, weil  
der gelehrten Welt,  
Wenn sie vernünftig ist, Dein Schluß  
und Werck gefällt.  
Weil Du mich nun dabey als Zeugen  
haben wollen;  
So werde meinen Wunsch und Freude  
mündlich zollen.  
Drum geht schon an den Ort im  
Geist mit treuem Sinn,  
Daß er gehorsam sey, Dein  
Freund und Diener  
hin.

M. C. F. Reichmann.  
Opponens.

E

VIRO



VIRO JUVENI  
NOBILISSIMO atque ORNATISSIMO;  
PAUL. ARNOLD. WEHNERO,  
AMIGO, COGNATO, AUDITORI, ET  
RESPONDENTI SUO.

S. & O.

M. JOH. HINRICH TWIETMEYER.

**P**Rimitias Cathedræ Academicæ, *Nobilissime* WEHNERE, uterque nostrum Eruditorum exhibet conspectui, cum superiorem ego Præses, Tu inferiore RESPONDENS alacriter prima vice conscendimus, expectaturi, quid Literatorum iudicium de nobis sit constitutum. Norunt omnes, qui candide sentiunt, quod emergendi pruritus stimulum & calcar mihi non addiderit, cum probe mecum habitum & norim, quam curta mihi sit supellex, quippe cathedram quidem conscendere, res facilis, illam autem ornare, satis sit arduum; Quare manum de tabula potius retrahere, quam inconcinnos sulcos ducere, consultius hactenus habui. Verum enim vero; spartam, quam nactus est, orna, tritum sermone proverbium me tandem eo adegit, ut periclitari vires meas, mecum constituerim, tentaturus, quid in hoc negotio valeant humeri, quid ferre recusent: Cui accedit, quod tuum *Nobilissime* WEHNERE desiderium, me *Præsides*, in publicum prodeundi, animum addiderit: Faxit itaque almus rerum nostrarum arbiter & moderator, ut cæpta nostra sint auspicata & felicis ominis. Tibi peculiariter, ut DEUS studiorum inoffenso contingas pede; & in solatium Matris hono-



honoratissimæ, Matronæ vera virtute conspicuæ, spem  
Patruï Tui, Patroni mei colendissimi, & gaudium  
Tuorum efflorescas. Vale & mecum age feliciter.  
Dabam Rostochii d. 13. August. Anno MDCCLXXIX.

**S**uß den bemühten Fuß auf Pindus Ehren  
Epiken,  
Die bloß Gelehrsamkeit und Tugend unter  
stützen,

Geliebter Herzens Freund, nur un-  
gehindert gehn.

So schau ich Dich vergnügt an solchem  
Orthe stehn:

Wo Pallas edle Hand den Bohn-Platz aufge-  
schlagen,

Da hör ich dich vergnügt, nur was gelehret ist,  
sagen.

Ich will ein Zeuge seyn. Weil Du volle  
kommen bist,

Was Wunder, daß der Reim hier seine  
Schranken schließt.

Mit diesen wenigen Zeilen begleitete  
den Herrn RESPONDENTEN  
aus ergebener Freundschaft zur  
Catheder Dessen Freund und  
Bruder

**J. F. Schüttler,**

Curonus,  
Opponens.

E 2

Ein



**I**n wahrer Philosoph entdeckt der Weisheits-  
Lehren,  
und führt mit allem Fleiß die muntren  
Schüler an,  
Wenn Lehr und Wahrheit sich in Dero Brust ver-  
mehrten,  
So weiß man daß auch schon die Praxis folgen  
kan,

Dies ist Geehrter Freund bekand aus deinen Früchten  
Wobon die Erstlinge in schöner Blüthe stehn,  
Aus einer guten That kan man den Meister richten,  
Und also wird man Dich und Deine Werke sehn,  
Der Himmel sey Dir hold und fördre Dein Bemühen,  
Erbeute Ruhm und Sieg nach wohlgeführten  
Streit,  
Bey der Gelehrten Welt, wird bald Dein Nahme  
blühen,  
Mein Herze bleibet Dir zur Lieb und Pflicht ge-  
weyht.

Dies schrieb mit glückwünschender Feder  
des Herrn RESPONDENTEN erge-  
bener Freund und Bruder.

**Johann Jacob Lüders,**  
aus Lünaburg,  
Opponens.



Rostock Diss., 1728-32




f

VD18

5b.







B.I.G.

Farbkarte #13

PHILOSOPHICA,  
SISTENS

MA 30.4

7 //

# SOPHIAM RAM,

1729, 4

IN  
PHO VITIOSO.

QVAM  
D VARNUM ACADEMIA,  
E SUMMO NUMINE,

ET  
PLISSIMÆ FACULTATIS  
ILOSOPHICÆ,  
OSOPHANTIUM ΣΥΖΗΤΗΣΩΝ

TORIO MAJORI,  
MITTUNT,  
RÆSES

R. TWIETMEYER,  
TOCHIENSIS,

ET  
SPONDENS  
NOLD. WEHNER,

EMENSIS, S. S. Theol. & Phil. Stud.  
XXXIX. D. 13. Augusti,

S T O C H I I,  
EREN, PRINC. & ACAD. Typographi

